



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCCII. Ioannis Papae VIII. Ad Ioannem, Martinvm, &c. Eiusdem
argumenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

mur quare hactenus a vobis hoc prætermissum sit; vnde nunc vestra iterum petitione moti, & diuino amore succensi, per hanc nostram apostolicam auctoritatem vobis omnibus præcipimus, vt relecta priori epistola vnanimiter iuncti, & cum præsenti misso nostro fideliter congregabati, eumdem Maimbertum aduersatorem vestrum, si sponte venire ad nos contempserit, vel in partem aliquamire voluerit, audacter comprehendere studeatis: & huic misso nostro seu & Ioanni duci fidei nostro ad exigendum ab eo, secundum nostram iussionem, nobis ad deducendum contradite, sicut gratiam dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum & nostram vultis habere. Nam si quis vestrum in hoc se quoquomodo subtrahens pro cuiuslibet rei gratia hanc nostram iussionem pro statu & pace sanctæ Rauennatis ecclesiæ directam gratanter ad effectum producere contempserit, & ex Dei omnipotentis sanctorumque apostolorum Petri & Pauli, & ex nostra apostolica auctoritate a vino & cocto etiam & a proprio ministerio suspensus maneat usque ad nostram præsentiam. Data v. Kalendas Septembbris, indictione xv.

EPISTOLA CCCII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD IOANNEM, MARTINVM, &c.

Eiusdem argumenti.

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei Martino, Ioanni, seu Demetrio, atque Romano glorioſis ducibus, nec non & aliis fidelibus nostris.

OMNIVM vestrum noscat fidelitas, quia sapientissime Romanum archiepiscopum tam per venerabiles episcopos, quamque etiam nostris apostolicis literis admonuimus, vt Maimbertum Bononiensem clericum a sua superstitione familiaritate separasset, & ad propriam ecclesiam, vt canonicum est, remisisset, & ipse Maimbertus multoties, vt recederet, a nobis est protestatus: sed minime acquiescere nostræ voluerunt apostolicæ iussioni. Idcirco præcipientes præcipimus, & iubentes expresse iubemus, vt vnanimes iuncti simul cum isto fidei misso nostro,

omni occasione postposita , & dilatione remota , prædictum Maimbertum comprehendatis , & vi coactum ab archiepiscopo separatis , & huic nostro missu simul & Ioanni duci ad exigendum secundum nostram apostolicam auctoritatem validissime contradatis . Quod si in hoc negligentes vos , quorum nomina supra scripta sunt , fueritis , & ipse quoquomodo effugerit a vobis ; scitote , per vnum quemque vestrum centum aureos dabitis nostræ parti . Insuper ex Dei omnipotentis sanctorumque apostolorum Petri & Pauli , & nostra apostolica auctoritate a vino & cocto suspensi manete usque ad nostram præsentiam : ceteri vero , si hoc , quod iubemus , assenti noluerint , aut subtrahendo quoquomodo se huc illuc diuerterint , & usque ad effectum rei non perseuerauerint , superiori ex communicationi subiaceant . Data v. Kalendas Septembris , indictione xv .

EPISTOLA CCCIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD IOANNEM DVCEM.

Vt Maimbertum captum ad se ducat , & mulieres , quæ apud ipsum sunt , detineat , & Romano archiepiscopo epistolam deferendam curet .

Ioanni duci deliciose fideli seu & missu nostro.

GRATVLA TOS nos non modice credas , eo quod fidelitas tua erga sanctam Romanam ecclesiam nostrumque apostolatum constanter reperimus vigilare : & ideo per hos nostros apostolicos apices tuæ fidelitati iubemus , vt de Maimberto modis omnibus sicut misisti , pariter cum isto missu nostro explere decertes , vt nullo modo effugere possit , sed separatum ab archiepiscopo vi coactum , postquam ab eo omnia sua constanter exegeritis , ad nostram præsentiam districtum deducere stude tote : etiam & illas mulieres , quas nunc in sua mansione collectas detinet , in nostro rectorio retinere iubemus usque ad nostram notitiam . Epistolam vero , quam Romano archiepiscopo mittimus , vt res , aut monasteria , quæ ab isto Ioanne diacono fidele commendato nostro quoquomodo occupauit , restituere & inuestire eum in omnibus studeat , & quæ